

Procedente tempore, in cancro existente sole, sunt ad predictum castrum florentini reversi, gerentes in firmo proposito super ipsum tanto tempore residere, quod pareat. Comes vero credens infortunio posse resistere, ex omni parte Lombardie, Tuscie, Marchie, et Romaniolae milites congregavit, et veniens circumvit castra non per miliare distando. Et cum vidisset florentinos stare firmos in castris, recedebat iratus, cum crederet obtinere, quoniam unum florentinum militem oportebat quatuor militibus respondere.

Audaces ex adverso quidam et prompti de castris consulibus (sic) exeuntes, aciem militum percusserunt retro cum comite venientem. Duravit enim bellum ultra quam posset dici fortissimum, per diei partem quasi dimidiam; nec indulgebat populus florentinus requiem petentibus adversariis. Novissime vero cum casu mortis vexillifer militum cecidisset, superati sunt penitus florentini, et percusso pastore, dispersi: amissis castris et ex omni parte remanentibus in campo pluribus interfectis. Unde versus:

Principium pravam, finem producit amarum.

Nec mirum: quoniam sapientia succubuit, dominante dementia: et prevaricatio vicit, locum habente superbia: et etiam conditor civitatis pleraque bella Cesar amisit, victoriosissimo tamen nichilominus existente. Anno millesimo centesimo quadragesimo sexto.

Comes vero suos in certo loco congregare precepit: gratias turbata facie, quia de tertio dubitabat eventu, referens ut decebat. Et cum quidam super hiis que acciderant letarentur, dixit inter cetera comes, quod obmiserat, obtinendo.

Anno vero sequenti steterunt quasi fessi florentini fere per annum, non repellendo quemquam, nec patiando repulsam. Et est consilio sumpto decretum, quod denuo revertantur ad castrum, tanto tempore moraturi, quod dicat in omnibus obedire. Diu namque steterunt: reversi, assumptis amicis, castellum undique manganis lapidando ac verberando, terram comitis in Tuscia totam et Romaniolam tangendo in locis aliquibus, ut mitigarentur animi eorundem, et ne novissimus error esset peior priore: comite minime comparente. Nam nec volebat amittere comes, neque super illatam iniuriam aliud superaddere. Obsidione vero durante, cum utriusque partis esset finis incertus, et eventus belli fortuitus utrique; cooperantibus viris sapientibus et honestis, concordia facta est, destructionem cuiusdam particule predicti castelli, sine reintegratione ex pacto comite patiente, et quietem tolerantibus florentinis; quoniam licet ob litem multa sanguinis fuisset aspersio, acquieverunt tamen ad precogitatum finem e ducto principio. Est enim postea castrum destructum in totum: asserentibus florentinis comitem, licet non directo, sed per simile, reintegrare deletum; et terra comitis Ardochini episcopo supradicto, licet non ex pacto, tacito remanente. Qui duo mala fecit: nam terram ad se non pertinentem violenter intravit, et fratri suo privans, episcopatus concessit eandem: que hodie per posterios detinetur eiusdem, multo sanguine comparata. Unde versus:

Nomen . . . tunc Mons Crucis est cruciatus (1).

(1) Della guerra tra i conti Guidi e i Fiorentini per ragione del castello di Monte di Croce, danno brevissimo accenno il Malispini e il Villani. I particolari che se ne leggono nel nostro cronista sono nuovi, e non senza importanza per la storia de' primi tempi del comune di Firenze. Questa guerra cominciata nel 1147, terminò nel 1154.

Scilicet in fine  
amplius huius

Graviter amplexus, ut per dicit.

1) In fine superbia add. red. del.

Anno millesimo centesimo quadragesimo sexto

Cap. dicit C.

2) Cito cum. statim fco (?)  
cento 60 e/quequam

3) compante

4) ad 5) vises, e com. (?)

6) asserentibus, legit 2. del.

7) non episcopatum

8) opatione unius etc. utriusque rel.